

sonerias, Montaurum (21), Aulanum, Caliscum, Vicum, Pocetum, Flaviacum, Flonellam, Cociacum in usus fratum , Caduliacum , Fistiliacum , Colonicas , Costermatum, Catianis, Lucumacum, Turnonem (22), Luperciacum, Lentem cum vicum, cum capellis ; necnon et omnes res quæ a gloriosissimis imperatoribus seu regibus et principibus per præcepta et auctoritates eidem sanctæ Lugdunensi ecclesiæ concessas esse noscuntur. Statuentes apostolica censura, sed divini judicii obstestatione et anathematis interdicto, ut nulli hominum magno vel parvo superbiæ fastu licitum sit quoquo modo contra hoc nostrum apostolicum privilegium agere, conanti aliquam vim seu fortiam in ipsis præfatis rebus inferre vel quamcumque querimoniam emittere ; potius autem ad laudem Dei omnipotentis et ipsius sanctæ Lugdunensis ecclesiæ stabilitatem et pauperum sustentationem, omnia ut superius leguntur firma auctoritate apostolica perpetuis consistant temporibus. Et quando metropolita divino jussu obierit, liceat ecclesiæ Lugdunensi et suffraganeis ejus quem divina clementia providerit ex ipsa ecclesia eligere et canonice sibi ordinare antistitem ; similiter et de suffraganeis statuimus ut, eorum quolibet defuncto, qui a metropolita et a viduata ecclesia electus fuerit canonice ordinetur, ut canonica auctoritas vigeat et ecclesiastica doctrina poleat, volumus et obtamus. Si quis autem, quod non credimus, temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum privilegium, in toto vel in parte, ire agereve præsumperit et in omnibus non observaverit, sciat se anathematis vinculo innodatum et a regno Dei nisi resipuerit alienatum, *etc.*—Scriptum per manum Johannis, scrinarii sanctæ Romanæ ecclesiæ, in mense maio, inductione tertia decima.